



JUSTINIANUS IMPE-  
RATOR IN EPISTOLA,  
quam unà cum Fidei Catholicæ  
Confessione

*Per Episcopos Hypatium atque Demetrium  
Romam misit ad Joannem Papam II. quæ unà cum  
ejusdem Pontificis responsione inter leges Codicis, sub tit.  
De summa Trinit. & Fide Cathol. ab ipsomet  
Justiniano relata est.*

Victor Iustinianus, Pius, Felix, Incly-  
tus, Triumphator, semper Augustus, Joanni  
sanctissimo Episcopo almæ urbis Ro-  
mæ & Patriarchæ.

**R**Eddentes honorem Apo-  
stolicæ Sedi & vestræ sanctitati  
(quòd semper nobis in voto &  
fuit & est) *Et ut Decet Patrem hono-  
rantes* vestram beatitudinem, omnia, quæ ad  
Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus  
ad notitiam deferre vestræ sanctitatis. Quo-  
niam semper nobis fuit magnum studium uni-  
tatem vestræ apostolicæ sedis, & statum San-  
ctarum

seculorum, tot eruditissimorum sanctissimorumque viro-  
rum consensu relicto, Luthero, Calvinoque credere ? fu-  
erint homines generationes antiquæ, errare potuerint &  
erraverint SS. PP. in re aliqua tunc nondum decisâ ; nun-  
quid non homines sunt Lutherus, Calvinusque ? quam,  
sancti scilicet, non attinet scientibus loqui. An soli illi,  
an vos singuli errare non potestis, qui vestrum ipsi judi-  
cium, in re controversâ, toti tot seculorum consensui  
præfertis ? quid, obsecro, hoc aliud est, quam in tuo tibi  
cerebro idolum fabricare, quò fidem parias tam multi-  
plicem, quam varia sunt hominum judicia, de se grandia  
præsumendum ? argumentis in hanc rem nullis egeo : res  
loquitur. Erit adhuc ille, si tamen erit, qui, nullo eorum-  
met cœtu contradicente, dicere possit : apud nos indubi-  
tate vera est Calvinianorum, vera Lutheranorum doctri-  
na, qui nobiscum non faciunt, Calviniani, Lutherani ne-  
quaquam sunt. Hisce inter vos Domini Academici li-  
tibus, ut modum statui optare demonstraretis, ex Univer-  
sitate Jenensi fiduciaras mihi litteras obtulistis, ut deci-  
dendi infallibilitatem vobis Româ procurarem, ad quas  
etsi pridem Germanicè responderim, grati tamen animi  
demonstrandi causâ, Dominationes vestras juri & justitiæ  
operam dantes, ad Mosaicam à Spiritu sancto dictatam,  
regulam manuducturus, ex vestris Codicibus, Romano-  
rum Imperatorum rescriptis, edictis, constitutionibus, le-  
gibus, Romanam Catholicam fidem ex normâ sacrosan-  
ctæ Tridentinæ Synodi vobis proponam, non quod tam  
stolidè sentiam, ut more vestro Imperatoribus aut Princi-  
pibus juris aliquid in Divina tribuam, sed quia, cum aliàs  
sæpius ex Scripturâ sacrâ, Conciliis, SS. Patribus tela de-  
prompterim nondum ab ullo retusa, perspectum habeo,  
pluri-

plurimum quoque apud vos Divum Justinianum, ceterosque legum conditores, auctoritatis obtinere, rogatas velim Academicas Dominationes vestras, ut, seposito tantisper effervescentis animi calore, utriusque tam Civilis quam Ecclesiastici Ordinis in fidei negotio consensus, tot retro seculis continuatum (cum in ore duorum, aut trium stet omne verbum) prudenti sacroque iudicio ponderetis.

*Academicarum Dominationum  
Vestrarum*

Studiosissimus

Jodocus Kedd, Soc. JESU.

A 2

CON.